

DISPUTATIO XVII.
DE BONIS OPERIBUS.

THESIS I.

CUM per bona opera vera fides & viva agnoscat, & discernatur ab hypocrisi & vana fidei simulatione, teste Apostolo, & fides sine operibus mortua sit, *Jai. 2. v. 17. & ult.* Post doctrinam de justificatione rectè sequitur locus de bonis operibus.

2. Quem ordinem secuti, de loco hoc ex uno Dei verbo quæstiones aliquot proponemus, præmissa brevi vocabulorum notatione.

3. Principio igitur tenendum est, appellationem bonorum operum non uno modo accipi. Interdum enim usurpatur pro certa aliqua specie, *1. Timoth. 2. v. 10. 2. Thes. 2. v. 17. Heb. 10. v. 24.* Interdum verò appellatio est generalis, complectens totam doctrinam huius loci, *Tit. 2. v. 14 3. v. 1. Eph. 3. v. 10.*

4. Et synonymia ferè sunt : Bona opera, *Matth. 5. vers. 16. Actor. 9. vers. 36. 2. Corinth. 9. vers. 8. Col. 1. vers. 10.* Sanctificatio, *Rom. 5. vers. 15.* Renovatio mentis, *Rom. 6. vers. 4.* Justitia bonæ conscientia, *Roman. 9. vers. 1. Heb. 11 vers. 39.* Sacrifici, *1. Pet. 2. vers. 5.*

5. Hæc de vocabulis: sequitur quæstio prima: *sint nè bona opera facienda?*

6. Affirmant omnes verè Christiani; cum

F 4

Deus